

FRANCISCI MARIII MOLSAE  
AD ALOYSIUM PRIULUM VENETUM

a cura di PIERANTONIO SERASSI

testo elettronico di DANILO ROMEI

Banca Dati "Nuovo Rinascimento"

---

<http://www.nuovorinascimento.org>  
impresso in rete il 28 maggio 1997  
nuovo formato del 26 luglio 2009

ILLe ego perpetuus Tarpeji culminis hospes [167]  
 Oblitus patriae tempus in omne meae:  
 Quem neque bellorum strepitus, nec barbarus ensis,  
 Saeva nec in medio castra locata foro:  
 Dira nec illuvies morbi commota malignis 5  
 Flatibus, aut saevi terruit ira Jovis:  
 Romuleis tandem procul hinc a collibus aevum  
 Degere (quis credat?) docte Priulle paro.  
 Scilicet effetae vires, & serior aetas  
 Me miris hebetem reddidit usque modis. 10  
 Nam neque formosas habeat quod Roma puellas,  
 Ipsos quae possint sollicitare Deos;  
 Nec crebris hominum moveor quod coetibus unus,  
 Excipiar comitum concelebrerque choris;  
 Ipsa etiam signis sordent nunc mollibus aera, 15 [168]  
 Altaque semotis marmora vecta jugis;  
 Templaque diversis operum variata figuris,  
 Quaeque suum retinent nunc quoque saxa decus.  
 Aeternum auspiciibus quodam Dis condita in aevum  
 Moenia septenis facta superba jugis 20  
 Parcite, sat vobis vitae, dum fata sinebant,  
 Tempora & haec studiis mollibus apta, datum;  
 Sat fortuna tuos olim spectavimus aestus,  
 Arbitrio versas dum fera cuncta tuo;  
 Hoc quodcumque aevi posthac mihi fata reservant,25  
 Vivendum omnino est commodiore solo:  
 Illic nulla animi sanos ubi gloria sensus  
 Avertat, falsis exagitetque bonis:  
 Nec curam exhibeant falces, aut purpura Regum,  
 Sceptraque ab indignis saepe ferenda viris: 30  
 Aera ubi nec quisquam, aut populi tabularia norit,  
 Aut inhiet saeva commoda rapta manu.  
 Musarum at vigeant passim commercia sancta,  
 Quarum percussus numine sacra fero;  
 Priscaque simplicitas, & nescia fallere vita, 35  
 Saturno qualis regna tenente fuit;

Sollicitos animos habuit cum nulla Cupido,  
 Nec dederant agris jugera certa modum:  
 Molliaque indomiti gesserunt colla juvenci,  
 Praeda nec immiti tunc fuit agna lupo: 40  
 Et juvenum sine fraude cohors, sine fraude puellae  
 Jungebant molles & sine fraude choros.  
 Nulla coercebat moechos censura, metusque,  
 Ignotumque illis nomen adulter erat.  
 Ergo nec infestos spectarunt sanguine rivos, 45  
 Arva nec innumeris sparsa rubere notis:  
 Nec galeas curvo pulsarunt vomere inanes,  
 Externis vites nec posuere viris:  
 Illorum extimuit dominatus nemo superbos,  
 Barbarus Ausoniam queis male victos habet. 50  
 Euganeis talem te vitam ducere terris [169]  
 Non obscura mihi fama, Priulle, refert;  
 Et nunc Medoaci properantes carmine lymphas  
 Sistere, qua viridi procubat umbra solo;  
 Nunc & Socraticis puros e fontibus haustus 55  
 Sumentem humano grandius ore loqui;  
 Qui Latio ignotas dudum sic detegis artes,  
 Praebeat ut victas Graecia victa manus.  
 Felix, cui superum genitor mortalia quaeque  
 Esse dedit studiis inferiora tuis; 60  
 Cui pedibus subjectus amor sceleratus habendi,  
 Et Veneris quidquid numina magna queunt.  
 His tecum decuit potius me vivere in oris,  
 Quam spectasse urbis funera Romuleae,  
 Quam saevas acies, truculenti & Teutonis iras, 65  
 Ustaque ab Hispano milite templa Deum.  
 Vidi ego Vestales foedis contactibus actas  
 Nequicquam sparsis exululare comis:  
 Collaque demissum ferro, gravibusque catenis  
 Romanum sacra procubuisse via; 70  
 Quaeque Jugurta ferox ornaverat ante triumphos,  
 Saucia Bravato vertere terga Duci.  
 Probrosis Tiberine pater te conde ruinis,  
 Et maestum in terris altius abde caput.  
 Non tamen admissum facinus pia numina inultum 75  
 Permisere diu, quod meminisse piget;  
 Dira lues caeli vitio namque orta repente

Admissum in nostros expiat omne scelus.  
Et quos nullus adhuc ferro consumserat hostis,  
Abstulit adversis saevior ira Dei: 80  
Nimirum antiquae revocans ad praemia laudis,  
Aeneadam his gentem perculit illa malis.  
Tot tibi servatus rapidis jam saepe procellis,  
Euganeis tecum sedibus esse volo,  
Quas nec saeva olim violarunt Caesaris arma, 85  
Attritae Venetum cum premerentur opes;  
Nec subiere unquam dirae contagia pestis, [p. 170]  
Innocui tantum profuit ora situs.  
Exceptus laribus parvis, & paupere cultu,  
Illic compositis otia rebus agam. 90  
Mi tantum longo deducens stamina tractu,  
Observet custos limina semper anus:  
Atque eadem ad lunam quaesitis montibus herbis  
Componat cantus, ominaque atra fuget.  
Quod si sub notis iterum Venus aurea signis 95  
Errones posthac nos habuisse velit;  
Sedula fabellis teneros soletur amores,  
Et desueta novis ignibus ossa levat.

## NOTA AL TESTO

Si riproduce alla lettera (compresi gli errori di stampa) il testo di FRANCESCO MARIA MOLZA, [elegia] *Ad Aloysium Priulum Venetum*, in DELLE POESIE / VULGARI E LATINE / DI / FRANCESCO MARIA / MOLZA / Corrette, illustrate, ed accresciute / *VOLUME SECONDO* / *Contenente le cose inedite, e gli* / OPUSCOLI / DI / TARQUINIA MOLZA / NIPOTE DELL' AUTORE / [incis.: Febo su nubi con cetra e corona d'alloro] / IN BERGAMO MDCCL. / Appresso Pietro Lancellotti )( Con licenza de' Superiori. (pp. 167-170). Si sono soltanto aggiunti nel margine sinistro i numeri di pagina (fra parentesi quadre) e la numerazione dei versi.